

PROOEMIUM.

- 3 *salis*, ut vocat. Est igitur *Analysis* doctrina de *Rationibus* & *Proportionibus*, seu *Quantitate non Exposita*; *Arithmetica* de *Quantitate exposita*, seu *Numeris*: falsò autem Scholastici credidere *Numerum* ex sola *divisione continui* oriri nec ad *incorporea* applicari posse. Est enim *numerus* quasi *figura quædam incorporea* orta ex *Unione Entium* quorumcunque, v. g. *DEI*, *Angeli*, *Homini*, *Motus*, qui simul sunt *Quatuor*. Cùm igitur *Numerus* sit quiddam *Universalissimum* meritò ad *Metaphysicam* pertinet. Si *Metaphysicam* accipias pro doctrina eorum quæ *omni entium generi* sunt communia. *Mathesis* enim, (ut nunc nomen illud accipitur) accuratè loquendo non est una disciplina, sed ex *variis disciplinis* decerptæ *particulæ quantitates* subjecti in *unaquaq;* tractantes, quæ in unum propter *cognitionem* meritò coaluerunt. Nam uti *Arithmetica* atq; *Analysis* agunt de *Quantitate Entium*; ita *Geometria* de *Quantitate corporum*, aut *spatii quod corporibus coextensum* est. *Politica* verò *disciplinarum* in *professiones* *divisionem*, quæ *commoditatem docendi* potius, quam *ordinem naturæ* secuta est, absit ut convellamus.
- 7 Cæterum *Totum ipsum* (& ita *Numerus* vel *Totalitas*) *discerpi* in *partes* tanquam *minora tota* potest, id *fundamentum* est *Complexionum*, dummodo intelligas dari in *ipsis diversis minoribus* totis *partes communes*, v. g. *Totum* sit *A. B. C.* erunt *minora Tota*, *partes illius*, *AB. BC. AC*: Et ipsa *minimarum partium*, seu pro *minimis suppositarum* (nempe *Unitatum*) *dispositio*, inter se & cum *toto*, quæ appellatur *situs*, potest *variari*.
- 8 Ita oriuntur duo *Variationum* genera *Complexionis* & *Situs*. Et *tum Complexio tum situs* ad *Metaphysicam* pertinet, nempe ad *doctrinam de Toto & partibus*, si in se spectentur: Si verò intueamur *Variabilitatem*, id est *Quantitatem variationis*, ad *numeros & Arithmeticam* deveniendum est. *Complexionis* autem *doctrinam* magis ad *Arithmeticam puram*, *situs* ad *figuratam* pertinere crediderim, sic enim *unitates lineam* efficere intelliguntur. Quanquam hîc obiter notare volo, *unitates* vel per *modum lineæ rectæ* vel *circuli* aut *alterius lineæ linearumve* in se *redeuntium* aut *figuram claudentium* disponi posse,

posse,